



Specimen physiologico medicum de mutationibus in sano corpore sanguinis detractione productis

<https://hdl.handle.net/1874/320808>

SPECIMEN PHYSIOLOGICO-MEDICUM

DE

MUTATIONIBUS IN SANO CORPORE SANGUINIS
DETRACTIONE PRODUCTIS.

1009859

MATTOCKS IN THE SOUTHERN STATES
DETERMINATION PROBLEMS

2.

SPECIMEN PHYSIOLOGICO-MEDICUM
DE
MUTATIONIBUS IN SANO CORPORE SANGUI-
NIS DETRACTIONE PRODUCTIS,

QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,
BARTHOLDI JACOBI LINTELO DE GEER,
PHIL. THEOR. MAG., LITT. HUM. ET JUR. UTR. DOCTOR, PROF. EXTRAORD.,
NEC NON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU
ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN
MEDICINA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,
IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA ,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
JOHANNES JACOBUS WOLTERSOM,

Covordensis.

DIE II M. MAJI A. MDCCCL, HORA V.

ARNHEMI,
APUD J. G. STENFERT KROESE.

MDCCCL.

INTRODUCTION IN SYNO CORPORE SVNGE
MS DISTRICIONIS PRODUCENS

MANUSCRITUS SCVMO MUNDIN

EX LIBRIS ALEXANDRIUS MUNDINUS

MUNDINIACI VACONI TITELLO DE CERI

DISCUSSIONES SEMINATIS ACADEMICIS CONCERNENTES

SOCIETATIS MEDICO-CHIRURGICAE PROLOGO

Joh. Casp. De Mordtius

EDITIONIS

COMMISSIONIS DE GENEVÆ

IN ACADEMIA HANNOVERIANA

EDITIONIS EXACTISSIMA

EDITIONIS EXACTISSIMA

JOHANNES JACOBUS MORDTUS

Editor.

Inter praecipua remedia, quac sunt in usu therapeutico, absque ullo dubio sanguinis detractiones principem occupant locum. Merito HUFELAND venaesectionem inter tria Medicinae heroica recenset; et quis neget, multis in causis unice ex ea sanationem, salutem exspectandam esse! Sanguis, liquidum nutritius, centrum omnis materiae mutationis, qua vita nititur, minori vi et quantitate membra permeat; — quâ alter fieri possit, quin sanguinis detractiones maximam vim in nutritionem ideoque in totam vitam exerceant.

Septicorum doctrina nihilominus nostrae aetatis sanguinis detractiones in dubium vocavit: etenim in pneumonia 1), imminentia 2) aut jam orta 3) apoplexia, quibus in causis quisque medicus venaesctionem jam dudum sacram salutis anchoram duxit, nonnulli recentiores sanguinis detractiones fere prorsus rejecerunt.

Empirice sola multis in causis, fortasse quoque hic, de actione

1) DIETL, *Der Aderlass in der Lungenerkrankung*, Urin, 1849.

2) DIETL, *Kliniek der Hersenziekten*, bewerkt door GODEFROT, 1847.

3) E. COPEMAN, *A Collection of Cases of Apoplexy with explanatory introduction*, London, 1845.

therapeutica difficulter decernere potest; si vero proprius decisioni accedat, saepius hoc fit in exitium vitae nonnullorum hominum.

Jam vero scientia ad id emersit fastigii, ut bono successu lucem preeferat 1). Quemadmodum vis physiologica ad vim therapeutica cuiusdam medicaminis dijudicandam magni est momenti, sic quoque accurata cognitio mutationum, quas sanguinis detractiones in sano producunt corpore, sit princeps via, qua de actione in aegrum organismum judicium feratur.

Quum autem aliam scholam, ad empiricos se provocantem eventus, animadvertisimus, ne sanguinis detractiones, nisi rarissime, fiant, aliâ, a longo tempore persuasionis plenâ, se rem percallere, experientiam eorum, quae e contraria agendi ratione prodeant, non habente, patet meridianâ luce clarius, accuratam actionis physiologicae sanguinis detractionum cognitionem primo multum debere conferre ad decisionem, cum eventus probatio in posterum prudenti relinquatur empiricae.

Hanc igitur ob causam libenter Viri Clarissimi DONDERS adhortationi serviebam, ut pro viribus in hoc versarer arguemento. Indagationes, a Doctissimo BERLIN, duce clarissimo viro DONDERS, et post ab ipso (DONDERS) institutae, pro parte saltem fundamentum jam efficiebant experimentale, dum ex mul-

1) Scientia interea etiam empirices sequela. Merito VIRCHOW (*Die Einheitsbestrebungen in der wissenschaftlichen Medicin*, Berlin, 1849), de hac utraque via in cognitionem actionis influentiarum locutus: »Beide,« inquit, »sind empirische, wie es sich für eine Naturwissenschaft nicht anders schickt. Allein der eine, der einfach »empirische, hat das Ziel, direkt die Kunst, der andere, der experimentell-empirische, direkt die Wissenschaft und erst indirekt die Kunst fest zu begründen.«

tis variisque fontibus meliora haurire possum, atque nonnulla experimentis comprobare vel etiam addere cupio.

Minime quidem exspectetis historicas indagationes sesquipedales; simplici conspectu paucis theoriam absolvere cupio ho-diernam, praecepsim simul propositis experimentis.

Licet universe de sanguinis detractionibus disserturus sim, praesertim tamen venaesectionem, heroicum istud therapiae, mente agito, inque ea defixus ero.

Si paucis reputamus, quomodo detractionis sanguinis effectus sese subsequantur, qui ordo nobis sit observandus, inde sponte oritur. Quaeque sanguinis detractio sanguinem in omnibus corporis partibus imminuit, unde pressio minor proficietur, qua sanguis propellitur; hac minore pressione oritur aequilibrium dissolutum liquoris nutritii huiusque absorptio, quae absorptio dicit ad compositionem modificantam; haec vero, uti jam modificantae endo - et exosmosis, in omnes functiones vim suam expromit. Quocirca ex ordine circa sequentia versabor:

- 1º. Circa sanguinis imminutionem in omnibus corporis partibus.
 - 2º. Circa modificantam sanguinis pressionem.
 - 3º. Circa liquidi nutritii absorptionem.
 - 4º. Circa mutatam sanguinis compositionem.
 - 5º. Circa vim in diversarum corporis partium functiones.
-

I.

SANGUINIS IMMINUTIO IN OMNIBUS
CORPORIS PARTIBUS.

Sanguinis detractionem subsequitur eius imminutio. Durante lentissima detractione duntaxat eius quantitas aliquando absorptione restauratur, quod celeriore detractione fieri nequit. Et haec quidem praecipua est differentiae causa inter venaescensionem rivuli in modum, atque sanguinis detractionem guttantem.

Universe sanguinis imminutio universalis erit. Ponamus, e brachii vena sanguinem detrahi, tum vero prius adhibita fascia hyperaemia mechanica in antibrachio et manu oritur; cum vero primum sanguis rivuli in modum e vena effundi potest, sanguis in brachio imminuetur, quin etiam eius quantitas normali minor fiet. Propterea quod sanguis ad brachium adductus pro parte effunditur, per idem temporis spatium minor sanguinis quantitas ad cor reducetur, et sic quoque minori vi ad pulmones propelletur, minorique copia, ad cor redux, per corpus dispertietur. Necessario inde sequitur, in omnia vasa minorem sanguinis quantitatatem propelli, omnesque igitur corporis partes ad oligaemiam redigi. Copia sanguinis imminuta est; spatium, quod, arctissime inclusum, percurrit, eodem modo coarctatur, quod

quidem facile eveniet, quandoquidem parietes ex elasticis et contractilibus constant tunicis.

Sed quaeritur, num in omnibus corporis partibus proportionalis sit sanguinis imminutio? HENLE accuratissime: »Den „Antheil,” inquit »den die Contractilität des Herzens und der Gefäße an der Circulation nehmen, kann man mit zwei Worten so ausdrücken, dass von dem Herzen hauptsächlich »die Blutbewegung, von den Gefäßen die Blutvertheilung »abhängig ist 1).“ Arteriae igitur singulis corporis partibus ipsarum sanguinis quantitatem tribuunt. Si nunc nobis proponimus, tonum renixumque vasorum ubique apte cum lumine suo convenire, vasorum luminis imminutio durante sanguinis detractione eius imminutioni in omnibus partibus respondebit. Facile autem intelligimus, tonum (non ita renixum), qui systemati nervoso obnoxius est, in diversis vasis maxime differre posse neque necessario vasorum lumini consentientem esse. Profecto in sano corpore haec exacta proportio saepius deficit et sanguinis imminutio jam non prorsus proportionalis erit, quae quidem, praesertim in hyperaemia, in inflammatione certarum corporis partium, qua indubitanter vasa partim tonum suum amiserunt, non semper proportionalis erit. Ex quo declaratur, quare non raro hyperaemia morbosa ad certas corporis partes, invitis largis sanguinis evacuationibus, propemodum non mutetur.

Quoddammodo etiam actionis gravitatis ratio habetur. Facilius sanguis semper ad partes inferiores defluit; in ea directione, ceteris paribus, in arteriis pressio magis aucta esse debet, minusque facilis per venas refluxus. Verumtamen quando pro-

1) HENLE, *Allgemeine Anatomie*, 1841, S. 512.

pter sanguinis detractiones pressio, qua sanguis propellitur, diminuta est, gravitatis vis non mutatur, atque igitur ratione habita post sanguinis evacuationes vim suam majorem expromat, necesse est. Quod quidem magna capitnis positionis influentia, utrum syncope oriri possit nec ne, tum maxime post sanguinis detractiones et inertis cordis actione minantes congestiones hypostaticae tam facile probare possunt.

Interea organon exstat, cui uni propter posituram exclusoriam attribuere voluere, quod sanguinis quantitatem, etiam post sanguinis evacuationem, quin etiam post haemorrhagiam, non mutatam retineat, nempe cerebrum. Medullae spinalis vero hac in re minus ratio habebatur. Attamen indagationes, quas KELLIE 1) instituit, insulsas ratiocinationes, quas HAMERNJK 2) protulit, experimenta, quae BURROWS 3), MARSHALL-HALL 4), BERLIN 5) imprimisque DONDERS instituere, jam satis refellerunt. Tres priores experimenta instituere, quibus *et* sanguinis imminutionem sanguinis detractionibus in cerebro, *et* eius incrementum, aucta sanguinis pressione (de quo posteriore praesertim BERLIN instituit), rimato animali necato satis apparuit. Clarissimo DONDERS vero contigit, ut vitream lamellam pro parte in locum crani subderet, quo pressione aucta sexcenties in vasis piae matris vivi animalis hyperaemiam videre posset, parique modo sanguinis

1) *Medico-chirurgical transactions of Edinburgh*, vol. I.

2) *Prager Vierteljahrsschrift*, Jahrgang 1848. Bd. I. *Kreislauf-verhältnisse der Schädelhöhle*.

3) *Beobachtungen über Krankheiten des cerebralen Blutkreislaufs* etc., von Dr. G. BURROWS, Deutsch von Dr. L. POSNER, Leipzig, 1847.

4) MARSHALL-HALL *Ueber Blutentziehung*, Berlin, 1847, S. 65.

5) *Onderzoeken betrekkelijk den bloedsomloop in de hersenholte*, Amsterdam 1850.

detractio*n*e eius quantitatis decrementum. Minutae semissis spatio plerumque vasorum explementum auctum et diminutum observari potest; et ipse plus semel vidi. At anatomia pathologica judicem nondum certiores factum nimis imbuere potuisset, cerebri sanguinis quantitatem non esse immutabilem. Et quidem viros, uti ABERCROMBIE 1), tali doctrinae morem gessisse, qua in pathologia uterentur, maxime miramur.

Partes in cavitate cerebro-spinali sitae igitur pariter per sanguinis detractiones sanguine privantur. Verum mutationes hic minori celeritate locum habent, quia sanguis in hoc spatio concluso nequit augeri, nisi liquor cerebro-spinalis diminuatur, nec diminui, nisi e contrario liquoris cerebro-spinalis augeatur volumen.

Qualem theoriam, rationem redditem de istis phaenomenis explicatam invenimus apud BERLIN, et infra etiam nos oportebit adhibere. Etiam hic modificatum vasorum tonum et gravitatem vim suam exercere, satis superque notum.

1) *Pathological and practical researches on diseases of the brain and spinal cord.* 1839.

II.

MODIFICATA SANGUINIS PRESSIO.

Omnem largam sanguinis evacuationem subsequitur diminuta pressio, sub qua sanguis fluit. Si inquirimus, quibusnam causis haec pressio determinetur, necessitatem diminutae sanguinis pressionis facile videmus. Sanguinis imminutio in omnibus corporis partibus, minor sanguinis affluxus in cor sequitur, ut vidimus, ex universali huius liquoris imminutione. Apparet certam sanguinis quantitatem in corpore requiri, ut actio cordis prorsus vim suam exerceat. Quae quantitas ad vim actionis cordis atque volumen systematis vasorum accommodata esse debet. Ponamus, hanc rationem ita se habere, jam perspicuum est, post paulo majorem sanguinis evacuationem, qua volumen systematis vasorum elastici coarctatur, pari cordis actione eodem temporis spatio minorem sanguinis quantitatem reductum iri, idcirco minorem quantitatem expulsum iri, et huic consentientem pressionem minorem orituram fuisse.

Attamen sanguinis quantitas, quae in toto corpore adest, non unicus neque praecipuus pressionis sanguinis factor: etenim huic se adjungit vis actionis cordis atque resistentia, quae sanguinis circulationi opponitur, imprimis in systemate capillari, quae vis,

adaueta diminuta pressione, ortā e sanguinis jactura, facile compensare posset. WtNDERLICH¹⁾ igitur jus dicere potest, et sanc, uti dein videbimus, jus dicit, contendens, detractio-
nem exilis sanguinis quantitatis, ita dicta reactione in cor, pressionem posse augere. Sed quisque novit, vulgo detractio-
nibus sanguinis imminutam vim cordis actionis succedere, et paulo largioribus sanguinis evacuationibus factis, ortā lipothymiā, pulsum cordis nonnisi perparvum observari. Ex quo luce clarius sequitur, ambos sanguinis pressionis fac-
tores se minime sanguinis evacuatione compensare, contra vero corroborare.

Sed nunc quaeritur, quomodo e diminuta cordis actionis vi minor pressio sanguinis in arteriis et vasis capillaribus sequatur? Vidimus, lumen arteriarum et vasorum capillarium, tono non mutato, indicare pressionem, qua hīc sanguis propellatur. Quodsi igitur debilitata cordis actio hanc pressionem imminuit, nullo alio modo hoc perficere potest, nisi sanguinis quantitate in systemate arterioso diminuenda. Diminuta sanguinis quan-
titas in arteriis, aucta in venis, sequela igitur est actionis cordis relaxatae. Res perspicua est. Cordis actione relaxatā, sanguis effluens minori pressione propellitur; haec pressio minor arte-
riæ renixu tonoque resistentes non ita expandere potest; quae minor expansio simul indicat, minorem sanguinis copiam in arteriis adesse. — Quocirca demonstratu non opus erit, sanguinis quantitatatem in systemate venoso, quod tanto facilius dilatari potest, eadem ratione auctam esse. Nulla alia causa defectū sanguinis in arteriis, accumulationis in venis, in cadavere re-

1) *Handboek der pathologie en therapie*. In het Nederduitsch over-
gebracht door ELLERMAN en JANSEN, Deel I. bl. 106.

periandae, nisi debilis cordis actio extremos halitus exhalantis, tono renixuque arteriarum etiamnum existentibus.

Quaestio est, an diminuto sanguine vis cordis actionis et ideo sanguinis pressio aequabiliter diminuatur? Experimenta accuratiora ope haemodynamometri eam in rem fere non instituta sunt; verum hanc ob causam minime dubitamus, accurate proportionalem negare imminutionem. Primo quoque resistentia in systemate capillari proportionaliter imminui deberet, et non est, quod hanc absolutam proportionem hic existimaremus; sed etiam cordis actio ipsa non semper aequabiliter languescit. Quoties minante syncope actio cordis fere prorsus supprimitur, ut, excitantibus adhibendis, vel mutanda positione sessili in recubantem, etiam largiori sanguinis amissione redeat! In lipothymia magna parte impeditus, at cito tamen rediens sanguinis effluxus e vena aperta evidentissime indicat, cordis actionem, post summam languedinem, efficere, ut sanguis rursus majori vi profluat. Ipsi etiam in uno experimento infra narrando, applicato haemodynamometro, pressionem brevi semper iterum nonnihil auctam observavimus, dum sanguinis missione erat diminuta.

Hacc inaequabilitas jam nobis ideo mira videri nequit, quia cordis actio nervoso regitur systemate et non solum magis minusve accelerata sanguinis detractione, verum diversâ gravitatis influentiâ, in diversa capitum positione, actiones cerebri et medullae spinalis perspicue modificari possunt. Accedit absorptio liquoris nutritii, quâ, institutis sanguinis missionibus, toties pressio brevi iterum aliquomodo augeri potest.

In antecedentibus, nostra opinione, satis superque ostendimus, imminutam sanguinis pressionem necessario sequelam sanguinis detractionum esse debere. Interea physicac scienc-

tiae ubique probationem ratiocinationum per experimenta postulat. Scientia de ea re, licet non bene multa, satis decretroria tamen experimenta habet.

Scimus, doct. HALES 1) pressionem sanguinis effecisse ex altitudine, ad quam sanguis in tubo vitro adscenderit, et doctissimum POISEUILLE 2) accuratiores eventus obtinuisse adhibentem manometrum, ab ipso haematodynamometrum 3) vocatum. Hocce instrumentum in variorum physiologorum manibus eventus suppeditavit magni momenti in commodum physiologiae 4), et inter alia ostendit, sanguinem animalium variae magnitudinis fere eodem modo premi et ratione habita exilem differentiam pressionis in diversis arteriis probabilis amplitudinis prodere. Idem instrumentum inservire potest ad effectus sanguinis imminuti et aucti, ut et alienorum corporum injectionum indicando. Quocirca sequuntur praecipua experimenta, ea de re instituta.

Duo haematodynametra, alterum in carotidem sinistram, alterum in dextram canis induxit MAGENDIE; vena jugularis denuobatur, in quam aqua calida injiciebatur. Post injectionem neque adscensio nec descensio in haematodynamometro observabatur. Post alteram injectionem hydrargyrum conspicue in manometro descendit. In scala indicabat ante injectionem

1) *Haemostatique ou la statique des animaux.* Traduit par DE SAUVAGES, Genève, 1744, 4 p. 29.

2) MAGENDIE. *Phénomènes physiques de la vie,* Paris, 1839, Tom. III, pag. 36 et seq.

3) Figura reperiri potest apud VALENTIN, *Lehrbuch der Physiologie des Menschen.* Zweite Auflage, 1847, S. 452.

4) POISEUILLE existimat, pressionem in diversis arteriis eandem esse; experimenta SPRENGLERI majorem demonstrarunt differentiam, vid. MÜLLER'S *Archiv.* Jahrgang 1844, S. 49.

80—105^{mm} et descensione haerebat in 30—45^{mm}. Post injiciebantur infusionis fabarum arabicarum (caffae) duo grammata, quo respiratio accelerabatur et columna hydrargyri ad 70—105^{mm} adscendebat. Praeterea alcohole, aqua diluto, injecto — quo hydrargyri status fere non mutabatur — vena jugularis apertiebatur, ex qua parum sanguinis effluebat, et tandem vena cruralis, ex qua sanguis lente profluebat; post quam operationem hydrargyrum rursus descendebat ad 65—80^{mm}.

MAGENDIO 1) prorsus assentimur, minime ex hoc experimento concludi posse, aucto sanguine pressionem non augeri. ExPLICATIONEM enim reperimus, nullam pressionem auctam oriri post excitatam artificialem plethoram aquae injectione, in ea ipsa aquae injectione, quae sine ulla controversia ansam praebuit languidae cordis actioni, dum caffea, nervosum excitans sistema, hanc auxit actionem, et effecit, ut hydrargyrum adscenderet. Ex hoc experimento solummodo percipimus, post sanguinis evacuationem e vena crurali conspicuam hydrargyri descensionem, ideoque imminutam sanguinis pressionem secutam fuisse. Sed, propter experimento praecedentia, illud non pluris acstimare volumus.

Applicabatur haematodynamometrum cani in carotidem sinistram 2). Hydrargyrum indicabat 60—90^{mm}. Nunc carotis dextra nudabatur et premebatur; statim hydrargyrum ad 75—105^{mm} adscendebat. Ut experimentum etiam evidentius observaretur, aorta abdominalis per abdominis tegumenta premebatur. Hydrargyrum nunc adscendebat ad 100—120^{mm}.

Hoc experimento demonstratur, sanguinis fluxu in una alterave parte impedito, quo igitur sanguinis in ceteris partibus

1) MAGENDIE, I. c. Tom. III, pag. 48 et seq.

2) MAGENDIE, I. c. pag. 64.

copia et resistantia aucta sint, etiam sanguinem in his partibus magis premi, si scil. haec quantitas certos non excedat fines.

Duorum canum 1) fere eiusdem magnitudinis, sed inaequalis aetatis, introducebatur haematodynamometrum in carotidem dextram. Alterutrius carotis sinistra aperiebatur, ex qua iterato libra una sanguinis detrahebatur, qui in alterius venam jugularem injiciebatur. Invita hac transfusione, nulla aucta pressio in haematodynamometro observabatur. Columnae hydrargyri quidem conspici poterat insignis descensio. Animali quater, una quaque vice, unciae quatuor sanguinis detrahebantur. Ante experimentum in scala manometri observabantur 65—95^{mm}

Post 1 ^{am}	sanguinis detractionem descendit ad . . .	70—80 ^{mm}
2 ^{am}	.	60—80 ^{mm}
3 ^{am}	.	50—75 ^{mm}
4 ^{am}	.	25—50 ^{mm}

et postquam etiam plus sanguinis detrahebatur, descendit ad 20-25^{mm}

Hoc experimentum nos evidentissime edocet, et post minores et post majores sanguinis evacuationes eius pressionem imminui. Pressio aucta post transfusionem non observabatur. Eundem eventum vel potius eandem descensionem nactus est SPENGLER 2). Posuit haematodynamometrum in arteria crurali canis robusti, quod indicabat 150 ad 130^{mm}, et sanguinem, alii cani detractum, in venam jugularem injiciebat. Post injectionem 100 Cub. C. sanguinis, quavis exspiratione et inspiratione, hydrargyrum descendebat a 160 et 180 ad 100^{mm}, et postquam praeterea 100 Cub. C. sanguinis injecta erant, a 180 . 200.

1) MAGENDIE, l. c. pag. 83 et seq.

2) MÜLLER's, *Archiv.* 1844, S. 69.

220 ad 100, 80^{mm}. SPENGLER tum dicit: »Berücksichtigt man
»schon allein diese Umstände, so sieht man ein, dass die al-
»lerdings nach der Injection in den Acten der Exspiration
»erhöhte Spannung, nicht seine Ursache in dem Vermehrten
»Widerstande haben kan, den das Blut in den Capillaren fin-
»det; denn unter diesen Bedingung hätte die Quecksilber-
»säule nicht so tief, ja nicht noch viel tiefer während der
»Inspiration nach der Injection sinken dürfen, als es vor der
»Injection geschah.” »Betrachtet man aber,” sic deinde
»pergit die Zahlen genauer, so erkennt man auf den
»ersten Blick, dass es diejenigen sind, welche wir immer
»bei heftigen Respirations-bewegungen gefunden haben, und
»in der That waren diese Bewegungen beim Thiere sehr
»verstärkt.”

MAGENDIE non orientem pressionem auctam, post factam
transfusionem, attribuit sanguinis diversitati, eo scilicet modo,
ut sanguinis compositio alterius, non alterius sanguini conve-
niens, causa esset diminutae cordis actionis. Hanc explica-
tionem non probare possumus: nam abunde ex transfusionis
experimentis apparuit, post insignem sanguinis amissionem,
demissam et fere non amplius observandam cordis actionem,
sanguine aliorum animalium injecto, denuo vi se instituisse.
Supra diximus, sanguinis incrementum non debere excedere
certos fines, ut pressio aucta oriatur. Si quantitas insigniter
augeatur et certos excedat fines, ut proportio necessaria inter
sanguinis quantitatem, lumen systematis vasorum et vim cor-
dis actionis dissoluta sit, actio cordis potius supprimitur, et
pressio, sub qua sanguis in arteriis profluit, idcirco minuitur.

Fines igitur sanguinis quantitatis non excedendi sunt, si
post transfusionem auctam sanguinis pressionem observare ve-

limus, et manifestum est, in vera plethora, in qua sanguinis quantitas ratione systematis vasorum et vis cordis actionis nimia sit, modica sanguinis detractione cordis actionem posse augeri.

Revera imminutioni sanguinis quantitatis imminutam pressionem succedere et explemento sanguinis detracti auctam pressionem, sequenti indicatur experimento 1).

In arteriam cruralem canis haematodynamometrum inducebatur et clyster, qui continere poterat tres quintas librac partes liquoris, in carotidem. Ad sanguinem in clystere liquidum et calidum servandum, tubulus clysteris durante experimento in sanguinis profluvio tenebatur, ut sanguis in clystere cum arterioso commercium habere posset. In scala haematodynamometri notabantur 65—75^{mm}. Nunc clyster semi implebatur. Hydrargyrum tunc descendebat ad 50—55^{mm}. Iterum sanguis injiciebatur, et hydrargyrum ad pristinam altitudinem adscendebat. Tum iterum, sed prorsus implebatur clyster. Hydrargyrum descendebat ad 20—27^{mm}, et postquam denuo sanguis erat injectus, hydrargyrum ad primitivam redibat altitudinem.

Quamvis ex his omnibus experimentis apparuisse, sanguinis detractione eius pressionem minorem fieri, hoc tamen ipsi experimento confirmare voluimus. In canis arteriam carotidem haematodynamometrum inducebatur, et simul arteria cruralis denudabatur. Durante operatione canis jam sanguinis quid amisit. Initio indicabat haematodynamometrum 90—106^{mm}; repetitis sanguinis detractionibus descendebat ad 46—50^{mm}, et tandem ad 37—40^{mm}. Post exilis sanguinis detractionem rursus adscendebat, plerumque per duas priores mi-

1) MAGENDIE, l. c. pag. 121.

nutas 1—5^{mm}, et haerebat. Ad hoc experimentum redimus, quia simul alio scopo instituebatur.

Huic experimento jam absoluto simile inveniebamus memoratum apud BOUCHUT 1). Haematodynamometrum, quod ad 114 et 130° (^{mm?}) observabatur, facta sanguinis missione, ex arteria crurali, descendebat ad 48—50, et simul diminuebatur pulsuum numerus a 128 ad 40 minutae spatio. Postquam sanguinis emissio desierat, adscendebat pressio rursus ad 50—60^{mm}, et descendebat tandem sequenti sanguinis detractione, qua animal syncopen subiit, ad 0^{mm}—1 ad 2^{mm}, dum 20 tantum cordis palpitaciones minutā primā observabantur.

1) *Traité des signes de la mort et des moyens de prévenir les enterrements prématurés*, Paris, 1849, pag. 72.

III.

LIQUIDI NUTRITII ABSORPTIO.

Necessariam sequelam imminutae sanguinis pressionis indicavimus liquidi nutritii absorptionem. Huius necessitatem non solum theoris physicis probare, sed factum etiam experimentis demonstrare possumus. Paucis leges endosmosis et exosmosis explicandae sunt. Quando duo liquores diversae densitatis membrana animali a se invicem separati sunt, commutantur, ita ut liquoris minus densi diminuatur quantitas, densioris vero augeatur. Quaedam materiae in certas quidem proportiones commutari videntur (endosmotica aequivalentia Clar. JOLLY 1)); in quo tamen membranae natura quoque suam vim exercet. Sed, praeter densitatem et compositionem, pressionis etiam ratio habetur, sub qua uterque liquor est, membranā separatus. Liquor scilicet, qui magis premitur, facilius, et qui minus premitur, difficilius ideoque minori quantitate penetrabit; quod facile experimentis probari potest.

Applicemus nunc hasce leges relationi sanguinem inter et liquidum nutritium. Conditio aequilibrii haec est: densior

1) HENLE's und PFEUFER's *Zeitschrift für rationelle Medicin*, Bd. 7, 1848.

liquor, sanguis, sub majore pressione, in systemate capillari tenuissimâ membranulâ a minus denso liquore, liquido nutritio, minori pressione, separatus est. Liquidum nutritium pauciora principia continere solida, quam sanguinem, tute sequi possumus, quando materias solidas in liquore cerebro-spinali, qui haberi potest liquidum nutritium, lymphae, quae e liquido nutritio oritur, spectamus, licet etiam ipsum liquidum nutritium in sua compositione et densitate non satis accurate cognitum sit. Liquidum nutritium minus premi, quam sanguinem, apparet nobis, reputantibus, parietes vasorum sanguineorum sanguinis pressioni elasticitate et tono resistere, quam itaque liquidum nutritium pro parte tantum patitur. Si pressio liquidi nutritii aequalis esset aut paulo major, quam sanguinis in vasis capillaribus, haec comprimerentur, et sanguis vasa capillaria percurrere nequiret: cui pressio fortior in aliquam partem re vera ansam praebet.

Nunc quaeritur, quaenam sit commutatio sanguinem inter et liquidum nutritium? Liquidum nutritium assidue mutatur quod ad compositionem chemicam, per vim materiae mutationis in ipsis telis: producta huius materiae mutationis partim in sanguinem transeunt, ex quo aliae materiae liquori nutritio redduntur: est chemica mutatio mutua. De liquidi nutritii compositione parum cognitum est: ne minimum quidem novimus de endosmotico aequivalente eius principiorum et de vi parietum vasorum capillarium; sed optime perspicimus, hisce fieri posse, ut multa aqua e sanguine transeat ad liquidum nutritium. Constat, quod e sanguine per vasorum capillarium parietes plus exsudetur, quam absorbeatur: nam e liquido nutritio etiam vasa lymphatica promunt, quae insignem liquoris quantitatem mediate ad sanguinem reducunt. In hanc majorem ema-

nantium quam invadentium materiarum quantitatem sine dubio major pressio, cui sanguis obnoxius est, quam liquidum nutritium, maximam vim exercet, et si haec pressionis differentia mutetur, statim quantitas liquidi exsudantis diminui debet, et ingredientis insigniter augeri. Lympha eadem regitur pressione ac liquidum nutritium; quae pressio ab uno latere tono texturarum efficitur, ab altero pressione sanguini communicata. In eâ pressione animadvertisimus quandam vim, qua lympha refluit. At haec vis etiam efficacior fit, propter magnum valvularum numerum, si advertimus, eam alterna vice grandescere et extenuari — *grandescere* in omni cordis contractione, quae per arterias adauictam pressionem cum liquido nutritio et lympha communicat, igitur *extenuari* in unaquaque diastole: arteriae adaucta sanguinis pressione huic non prorsus proportionales se extendere possunt, et transferunt igitur majorem pressionem in cingens liquidum nutritium. Idem in expiratione fit, quod in systole, praesertim partibus cavo pectoris propioribus, et quia sanguis arterialis majori vi propellitur, et quia refluxus sanguinis venosi ad sternum impeditur, et resistentia in venis vasisque capillaribus eo augetur. — Hae rhythmicæ commutationes etiam se offerunt quoad commutationem inter sanguinem et liquidum nutritium. Momento, quo in liquido nutritio adaucta sanguinis pressione in arteriis truncis augetur pressio, dum illa in systemate capillari, uti notum est, momento systolæ et diastolæ, constans est, conditio data est, quâ faciliter irrumpat liquidum nutritium in sanguinem, sequenti momento difficilier, et perspicuum est, permutationem, mutuam in utrumque hocce liquidum eo promoveri.

In cerebro haec actio maxime se manifestare debet, ubi cranium, quod non potest extendi, totam pressionem auctam sanguinis in trunco arteriali transfert in liquorem cerebro-spinalem,

quia arteriae sub hac aucta pressione minime possunt extendi. Longe alia, quam harum mutationum rhythmicarum sanguinis pressionis, est effectus assidue auctae vel diminutae pressionis: hacc enim simul sanguinis pressionem in systemate capillari determinat. Si h̄c sanguinis pressio augeatur, modo auctionis pars, si vero diminuatur, parva modo diminutionis pars in liquidum nutritium transfertur. Hoc nobis perspicuum fit, perpendentibus, in priori casu vasa capillaria quoque magis extendi, eaque eo ipso tanquam tubulos elasticos eo magis pressioni sanguinis resistere, dum pressio aucta liquidii nutritii, partim difflente lympha, partim faciliori extensibilitate partium circumdantium, qua liquidum nutritium quadam ratione sibi majus spatium quaerit, pro parte tollitur. In assidua sanguinis pressionis diminutione sanguis in vasis capillaribus etiam minus premitur: attamen liquidum nutritium, prorsus partibus, renixum et tonum habentibus, inclusum, iis sub fere aequali pressione tenetur, quum per sanguinem non aut saltem parce prematur; et pressio eius modo tantum imminuta est, quantum vis premens telarum se contrahentium in ea contractione imminuatur.

Non ampliore igitur probatione opus est, quodcunque sanguinis pressionem augeat, exsudationem liquidi nutritii, quodcunque vero imminuat, absorptionem huius liquidi promoturum esse. Mutationes orituras toni vasorum sanguineorum et texturarum, quae liquidum nutritium sub quadam tenent pressione, item in ea suam vim exercere posse, prorsus verum est; sed harum mutationum omnino insciis sumus, quarum igitur hoc loco ratio haberi nequit.

Innumera phaenomena diversi generis demonstrare possunt, modificationes quoad vim, qua premuntur liquidum nutritium et

sanguis, magnam vim in horum liquorum mutationem exercere, et vicissim dicta phaenomena illustrarari possunt ex aequilibrio rupto rationis pressionis sanguinis et liquidi nutritii. Omni pressione sive externâ, ex. gr. fasciis, instrumentis pressoriis, sive internâ, tumoribus, arteriis pulsantibus, caet. productâ, immediate augetur pressio, sub qua liquidum nutritium est. Haec auctio talis esse potest, ut pressionem, cordis actione productam, longe antecedat, ut sic vasa comprimantur et sanguinis circulatio prorsus tollatur, quo in casu certe sphacelus sequetur. At dictis causis etiam ita augeri potest, ut sanguis quidem sub eadem aut parum aucta pressione maneat, neque sanguinis circulatio tollatur, sed nihilominus pressio, qua liquidum nutritium regitur, insigniter *relative* aucta sit. Inde necessario hoc loco liquidî nutritii absorptio sequi debet. Praeponderans exsudatio, qualis in conditione normali locum habet, solummodo esse potest, quando sanguis multo magis premitur quam liquidum nutritium. Si pressiones pares evadant, vel sanguinis pressio parum tantum adaugta maneat, liquidum nutritium tanto tenuius facile redibit ad sanguinem. Hinc videmus, exiguum pressionem, sanae parti allatam, brevi huius partis macerationis causam factam; hinc videmus, tumores, in uno alterove organo ortos et adaugtos, texturae et circuitui atrophiam afferentes; hinc etiam tumefactionem videmus localem hydropicam brevi pressionibus systematicis evanescentem, caet., caet. — Non omnem pressionem, e. c. maxime inflammatis partibus allatam, absorptionem producere, declaratur ex eo, quod tam facile in fere perfecta aut minante stasi sanguinis circulatio hîc prorsus supprimatur; dum praeterea conditio mutata et quidem major densitas liquidî nutritii in partibus inflammatis (quae etiam pro parte

saltem posita esse potest in praegressis modificationibus pressionis) absorptioni impedimento est. Arteria pulsans, quae in omni expansione liquidum nutritium texturae circumdantis sub auctam et diminutam dicit pressionem, sulculum etiam in ossibus imprimit, et aneurysmata pulsantia pari modo insignis ossium usurae causa sunt. Eo quoque praeterea promotionem (de qua supra diximus) mutationis liquidum nutritium inter et sanguinem alternis extensionibus et contractionibus arteriarum aperte illustratam videmus.

Denique liceat experimentis probare, modifications in sanguinis pressione ansam posse praebere auctae absorptioni et exsudationi. Et quidem primo loco propono experimenta, quae MAGENDIE¹⁾ instituit, qui multo citius venenorum absorptionem post sanguinis evacuationes dignoscebat ex eorum phaenomenis. Post detractionem semilibrae sanguinis, actio veneni, in cavitatem pleurae inducti, quae alioquin demum post duas minutus sequebatur, intra dimidium minutae observabatur.

Alia experimenta, quae instituerunt WEDEMEYER, GÜNTHER, MAGENDIE, VEIT, magis composita sunt, quia in iis aquae injectione simul sanguinis compositio mutabatur. Propterea quod utriusque factoris, mutatae pressionis et mutatae compositionis, non justa ratio habebatur, explicationi plerumque se offerebant difficultates, quas, horum factorum ratione habita, evanescentes videbimus. Proferemus igitur experimenta et experimentatorum theorias.

1) *Handbuch der Physiologie*. Nach den dritten Ausgabe aus dem Französischen übersetzt von HEUSINGER, 1836, Zweiter band, S. 233.

Equi annosi 1) per $1\frac{1}{2}$ horam librae (Civilpfund) 80 ad 84 aquae calidae in venam jugularem injiciebantur. Durante experimento oboriebantur lacrymae, et multum pituitae aquosae ex ore effluebat; — interim septies dejiciebat stercora, quae tandem similia erant aquosae diarrhoeae. Tum carotis et vena jugularis aperiebatur. In autopsia reperiebantur 12 librae aquae sanguinolentae, in cavitatem ventris effusae, in cavitatem pectoris minor quantitas. Peritonaeum et pleura ut et membrana mucosa intestinorum praeter modum rubebant.

Alii equo 2) 46 librae aquae injiciebantur. Durante experimento animal vehementer sudabat, ruber liquor e naribus effluebat. In autopsia eadem phaenomena atque in praecedente observabantur.

In venam jugularem equi 3) injiciebantur 98 librae aquae, et simul 48 librae sanguinis detrahebantur. Etiam hinc inveniebantur per vitam et post mortem eadem phaenomena atque in ambobus casibus supra citatis.

Cani 4) $3\frac{1}{2}$ librae aquae injiciebantur. Cito multum liquoris ex ore effluebat, et animal valde sudabat. Horis duabus post moriebatur. In abdominis cavitate inveniebatur effusio serosa sanguinea, exsudatum sanguineum in tela cellulosa diaphragmatis, congestio in pulmonibus et in ventriculo.

Ut observari posset, quam vim plethora in absorptionem

1) WEDEMEYER, *Untersuchungen über den Kreislauf des Bluts*, Hannover 1828, S. 463.

2) WEDEMEYER, l. l. S. 464.

3) WEDEMEYER, l. c. S. 464.

4) ANCELL, *Bibliothek von Vorlesungen vor BEHREND*, №. 171. Vierte Liefr., Leipzig 1845, S. 313.

habeat, in venas canis MAGENDIE 1) litrum aquae injiciebat. Deinde parca copia substantiae, cuius actio cognita erat, in pleuram inducebatur. Eius actio compluribus minutis serius secuta est quam vulgariter. Plura experimenta idem indicabant. Animalis 2) in venas tantum aquae injiciebatur, quantum ferre poterat absque vitae jactura. In pleuram inductum venenum, quod vulgo post duas minutis phaenomena subsequebantur, post horam dimidiam nondum suam indicabat actionem. Inde sequebatur MAGENDIE: si tensio vasorum sanguinorum resistat absorptioni, locum habere debet, simulac hae tensio cesseret. Idcirco aperiebat venam jugularem, cui succedebat actio, prout sanguis effluebat.

Ad objectionem oppugnandam, sic pergit MAGENDIE, quod non solum tensio vasorum, sed etiam mutata sanguinis conditio absorptionem impediret, fiebat cani 3) larga venaesectio. Post in venas tantundem aquae injiciebat, quantum sanguinis detractum erat, et tum certam Nucis vomicae solutionis quantitatem in pleurae cavitatem ingerebat. Eius actio eadem celeritate et vi locum habebat, atque in vulgari sanguinis conditione; unde colligit, absorptionem, quae non locum habeat aut diminuta sit, sequelam esse magnae vasorum extensionis.

VEIT 4) instituit experimenta, ut VALENTINI methodum, qua animalis sanguinis copia determinabatur, tentaret. Animali certa sanguinis quantitas detrahitur, cuius loco certa aquae quantitas

1) MAGENDIE, *Handbuch*, I. c. S. 233.

2) MAGENDIE, *Handbuch*, I. c. S. 233.

3) MAGENDIE, I. c. S. 234.

4) *Observationum de sanguinis quantitate nuperrime institutarum recensio*, Halis, 1848.

injicitur, et post aliquot minutis inquiritur, quanto majori copia aquae sanguinis post institutam injectionem adfuerit. Experimenta, quae VEIT instituit, in nostrum usum potius adhibui, quam a VALENTIN instituta, primo quia hujus determinatio materiarum solidarum summe vitiosa est, tum quia VEIT, post aquae injectionem, saepe, toties intermissis aliquot minutis, repetivit sanguinis detractionem et materias solidas determinavit, quo magis nostro satisfaciunt scopo. VEIT ita in experimentis saepenumero magnam dissimilitudinem inventiebat, ut, e. c. in nonnullis casibus post aquae injectionem sanguis primus detractus plura contineret principia solida, quam secundus, qui aliquot minutis post erat detractus, sed e contrario pauciora quam tertius, et tandem quartus iterum plura contineret principia solida. Quod nullo alio modo explicare potest, quam statuendo, aquam injectam non cito aequabiliter sanguini commixtam fuisse, quam explicationem, me judice, re considerata, non accipere, nec saltem accommodare possumus in injectionibus aquae quantitatuum relative tam exiguarum, et temporis spatio 15, 20 quin etiam 30 minutarum et plurium post aquae injectionem in vas sanguineum.

In aliis casibus VEIT singularem convenientiam observabat inter secundum, tertium et quartum sanguinem. Putat, in eo commixtionem rite locum habuisse, nulla ratione data, cur haec commixtio in caeteris casibus non obtinuisse, et jam solummodo miratur, quod spatio tot minutarum, quot inter secundam et tertiam, tertiam atque quartam interjectae erant, aqua minime e sanguine excreta esset.

Principia physica jusserunt, nos hic duos recipere factores: mutatam compositionem scil. sanguinis, et mutatam pressionem,

sub qua fluit. Si sanguinis aquae particeps fiat, exsudatio e sanguine promovetur; si sanguis sub minorem veniat pressionem, absorptio liquidi nutritii e contrario facilior redditur. Uterque factor agens est, quando aqua in sanguinem injicitur. Supra jam memoravimus experimenta, quae MAGENDIE instituit, e quibus apparuit, post aquae injectionem, imprimis antea sanguine detracto, haematodynamometrum descendere. Non est, quod demonstremus, aquae injectione sanguinem plus aquae contenturum esse. At hic uterque factor agit ratione inversa; quae vero actio fere proportionalis sit, necesse est, ad producendum, quod VEIT in nonnullis invenit experimentis, secundum, tertium et quartum detractum post aquae injectionem circiter aequale procentum principiorum solidorum continere. Etiam experimentum, quod MAGENDIE instituit, beneficium aequa cito ac vulgariter secutum esse, post certam quantitatem sanguinis detractam, et aquam eius loco injectam, hac duorum factorum compensatione declaratur,— minime simpliciter eo, ut MAGENDIE dicit, quod quantitas liquoris in systemate vasorum eadem mansisset. Praeponderans vis dilutionis sanguinis exsudationi, praeponderans vis pressionis diminutae absorptioni ansam praebet; et si consideramus, quoties in experimentis in animalia actio cordis nunc fortior et celerior, nunc debilior et languidior fiat, manifestum est, non aliter fieri posse, quin VEIT in suis experimentis saepe magnas aberrationes observare deberet.

Tandem omnino propositioni convenit, injectis insignibus aquae quantitatibus, uti in experimentis WEDEMEYER et GÜNTHER factum est, factorem sanguinis dilutionis longe praestitisse, et ubique auctam exsudationem invasisse.

Itaque non simpliciter est gradus vasorum explementi, qui

absorptionem et exsudationem constituat; pressio et compositio sanguinis, pressio et compositio liquidi nutritii, natura separantium membranularum, en tot momenta, quorum ratio habeatur.

Apud solum VIERORDT reperiebamus, quum jam supra notata conscripta essent, explicationem, multis nominibus hic datae convenientem: »Es existirt allerdings,” sic in articulo *Transudation und Endosmose reperimus* 1), »eine Attraction zwischen den Bestandtheilen des Blutes und des Parenchys, so wie es eine Attraction zwischen zwei durch eine Membran geschiedene Salzlösungen giebt. Die Analogie in beiden Fällen ist so vollkommen, dass wir gar keinen Unterschied machen können. Diese gegenseitige Attraction ist die Folge der chemischen Differenz beider Theile, wodurch das Bestreben entsteht, diese Differenz auszugleichen; der Vorgang wird modifizirt von den Durchlassungsvermögen der Theile für die Blutbestandtheile, gerade wie bei der Endosmose. Die Verhältnisse des Organismus begünstigen übrigens bei den Vorgängen der Ernährung und der Secrction den Strom von den Capillargefüssen nach Aussen, während sie den Strom in umgekehrter Richting erschweren und zwar aus dem Grunde, weil der Druck, unter welchem das Blut in den Capillargefüssen circulirt, die Spannung der in den Organen enthaltenen Ernährungsflüssigkeiten um etwas übertrifft, so wie auch der Druck, unter welchem die Lymphe in ihren feinsten Gefässen fließt, geringer ist, als der Blutdruck in den Capillargefüssen. Beide Momente begünstigen

1) WAGNER'S *Handwörterbuch*, Bd. III, 1^e. Abtheil, 5^{te} Lfg.
S. 653.

»somit das Austreten von Plasma aus den Haargefäßen. Die Stoffe, welche aus dem Blute transsudiren, hängen demnach in Quantität und Qualität ab von der chemischen Zusammensetzung des Organtheiles und der Lympfa und von der Spannung, unter welcher beide stehen.“

Absorptionem revera sequelam esse sanguinis detractionum, etiam evidentius apparebit, quando a nobis perpenditur:

IV.

MUTATA SANGUINIS COMPOSITIO.

Magni momenti sunt mutationes, quas sanguis remanens jam per et dein post sanguinis detractionem subeat. Ut ex sanguinis pressionis vi, capite antecedente patefacta, sequitur, sanguinis aquae volumen statim augeatur, quod etiam revera experimentis probatum est. Jam partim hoc derivari potest experimentis, quae MARSHALL-HALL 1) in animalia instituit, in quibus se excipientibus venaesectionibus (conf. experimenta 2, 4, 5, 6 et 7) seri quantitas acquabili fere ratione ad quantitatem sanguinis placentae augebatur, quod initio subinde aliquanto minore, post vero multo majore quantitate aderat. MAGENDIE 2) eosdem assecutus est eventus quinque se excipientibus venaesectionibus in eundem canem instutitis. Etiam NASSE 3) post iteratas venaesectiones placentam inveniebat saepe solidiorem et minorem. ZIMMERMANN 4) autem,

1) *Ueber Blutentziehung*, Deutsch von BRESSLER, 1837, S. 58 u. f.

2) *Phénomènes*, etc. Tom IV, pag. 25 et sq.

3) *Das Blut in mehrfache Beziehung physiologisch untersucht*, Bonn 2836, S. 64.

4) *Zur Dynamik des Aderlasses in ROSEN's und WUNDERLICH's medicinischer Viertelyahrschrift*, Bd. IV, Stuttgart, 1845, S. 191.

reperiebat in ultima eiusdem venaesectionis parte placentam sanguinis nunc majorem nunc minorem.

Attamen quantitas seri sanguinis et placentae non certa mensura est solidorum principiorum quantitatis. Determinatio principiorum solidorum exsiccatione aut determinatio ponderis specifici necessaria erat ad demonstrandum, aquae volumen auctum fuisse. Primum determinatione ponderis specifici et primo et ultimo excepti sanguinis arterialis in sanguinis emissione animalium diminutionem ponderis specifici DAVY 1) indicabat. Quos eventus acquisiverit, in sequenti tabula memorantur :

	SANGUIS	SANGUIS	SERUM	SERUM
	PRIMO EXCEPTUS	ULTIMO EXCEPTUS	PRIMO EXCEPT.	ULTIMO EXCEPTUM
Ovis.....	1048	—	1040	—
Ovis.....	1050	—	1044	—
Agni.....	1049	—	1046	—
Agui.....	1051	—	1045	—
Tauri.....	1058	—	1051	—
			1024	—
			1027	—
			1024	—
			1024	—
			1027	—
			1023.	—
			1022.	—
			1020.	—
			1018.	—
			1021.	—

NASSE 2) repetivit haec experimenta, et invenit :

	SANGUINEM	SANGUINEM
	PRIMO EXCEPTUM.	ULTIMO EXCEPTUM.
Vitulæ.....	1044	—
Canis.....	1052,5	—
		1040,1.
		1040,2.

PREVOST et DUMAS 3) jam indicarunt, paucas minutas sufficere in sanguinis missione ad aquae volumen augendum. Nacti sunt e forti et sana sele sequentia procenta:

1) MECKEL'S *Archiv.* I, S. 151.

2) *Das Blut*, u. s. w.

3) DUMAS, *Traité de Chimie appliquée aux arts*, T. VIII, Paris 1846, p. 500.

SANGUIS IN INTEGRO.			AQUAE VOLUMEN SERI.	OBSERVATIONES.
AQUA.	SANGUINIS PLACENTA.	ALIA SOLIDA PRINCIPIA.		
79,38	11,84	8,78	90,0	Larga venaesectio e carotide.
80,92	11,63	7,45	91,6	Duabus minutis post e vena jugulari.
82,93	9,35	7,72	91,5	Quinque minutis post e vena jugulari.

In homine incrementum voluminis aquae durante venaesectio-
ne praesertim ZIMMERMAN 1) indicavit. E 54 casibus principia
aquosa quinquagies semel post primum vasculum in sequenti-
bus aucta sunt.

Nostris experimentis in animalia hos eventus plane con-
firmatos invenimus. Primo loco quod ad sanguinem mactatae
vitulae attinet. Excipiebamus, diversis temporis spatiis inter-
missis, sanguinem effluentem, determinabamus uniuscuiusque
partis exceptae pondus specificum atque solida principia, —
pondus specificum, immediate excipiendo in lagenulas pro-
prias, solida principia, siccando in olei balneo cum respi-
ratore 2). Tandem quarto aliquid sanguinis excipiebatur,

1) *Zur Dynamik*, u. s. v.

2) In hocce primo casu siccatio siebat in balneo olei tempera-
turā nimis altā, nempe graduum 180. Attamen eo ponderis jac-
tura post praegressam exsiccationem in lebete (droog-keteltje), et
igitur temperaturā 100°, modo exigua erat:

N ^o 1 ⁱ	diminuebantur	0,804 gramm.	ad	0,735 gr.
" 2 ⁱ	"	0,491	"	0,425 "
" 3 ⁱ	"	0,365	"	0,328 "
" 4 ⁱ	"	0,302	"	0,276 "

Haec diminutio exigua tam altā temperaturā suspicionem mo-
veret, nunc quoque decompositionem materiae organicae non locum

qui durante inflatu telae cellulosa effluebat. Eventus erat sequens:

Experimentum I.

DIVERSA VITRA.	SPATIUM TEMPORIS ELAPSI.	PROC. SOLIDORUM PRINCIPIORUM.	PONDUS SPECIFICUM.
No. 1	0 min.	14,9	1,0336
No. 2	3 min.	14,7	1,0292
No. 3	5 min.	12,9	1,0283
No. 4	15 min.	10,7	1,0163

Cuniculi sanguis per sanguinis detractionem, ex arteria mammaria et arteria crurali institutam, quatuor diversis temporibus excipiebatur, et solida principia determinabantur eventu sequenti:

habuisse. Ne vero majus pretium imponatis determinationibus principiorum solidorum in hocce experimento. Verum pondus specificum hic satis demonstrat. — In sequentibus experimentis exsiccabamus in olei balneo temperaturā 105—110° Animadvertisentes, post exsiccationem in lebete, valde exiguum et regularem obtinere aquae jacturam, in sequentibus experimentis, lebetem solam ad exsiccationem adhibuimus.

Quae NASSE multique alii tradiderunt, pondera specifica non ipsum spectant sanguinem, sed a materia fibrosa liberatum. Nostra experimenta specificum sanguinis pondus indicant, prouti membra permeat ipsius verā temperaturā, dum verum gazorum volumen et materiam suam fibrosam in statu soluto continet.

Experimentum II. A.

DIVERSA VITRA.	QUANTITAS EXCEPTA. (GRAMMATA).	SPATIUM TEMPORIS ELAPSI.	PROC. SOLIDORUM PRINCIPIORUM.
Nº. 1	0,476	0 min.	18,9
Nº. 2	0,420	6 min.	19,6
Nº. 3	1,323	10 min.	18,9
Nº. 4	2,912	13 min.	18,1

Sanguis exceptus igitur erat 5,131 grammatum, quibus circiter tria addenda sunt grammata, quorum jactura facta est.

Postero die eidem cuniculo sanguis detrahebatur ex arteria crurali, atque in duo horologii vitra excipiebatur; sanguis posterior rursus insignem principiorum solidorum imminutionem ostendebat.

B.

DIVERSA VITRA.	QUANTITAS EXCEPTA.	SPATIUM TEMPORIS ELAPSI.	PROC. SOLIDORUM PRINCIPIORUM.
Nº. 1	5,546	0 min.	14,3
Nº. 2	1,300	3 min.	11,9

Etiam quatuor diebus post rursus imminutio solidorum principiorum in posteriore horologii vitro observabatur, licet in priore paululum aducta essent,

C.

DIVERSA VITRA.	QUANTITAS EXCEPTA.	SPATIUM TEMPORIS ELAPSI.	PROC. SOLIDORUM PRINCIPIORUM.
Nº. 1	0,859	0 min.	12,4
Nº. 2	3,856	4 min.	11,9

Maxime regularem acquisivimus diminutionem in alio cuniculo, in cuius pia matre simul sanguinis imminutio, per vitrum in cranio positum, observabatur. Sanguinis detractio fiebat e vena crurali. Eventus sequentes erant:

Experimentum III.

DIVERSA VITRA.	QUANTITAS EXCEPTA.	SPATIUM TEMPORIS ELAPSI.	PROC. SOLIDORUM PRINCIPIORUM.
No. 1	0,112	0 min.	19,6
No. 2	1,400	5 min.	18,8
No. 3	4,514	12 min.	17,6
No. 4	2,939	18 min.	14,1

Tandem in tertio cuniculo adepti sumus:

Experimentum IV. A.

DIVERSA VITRA.	QUANTITAS EXCEPTA.	SPATIUM TEMPORIS ELAPSI.	PROC. SOLIDORUM PRINCIPIORUM.
No. 1	0,485	0 min.	16,2
No. 2	3,078	4 min.	15,2
No. 3	0,286	12 min.	13,8

Praeter 3,849 grammata sanguinis excepta in tria vitra, saltem 5 grammatum jactura facta est.

Maxime regularem, quamvis non valde magnam solidorum principiorum diminutionem postero die praebebat sanguinis evacuatio tripartita excepta eiusdem cuniculi ex arteria axillari. En eventus:

B.

DIVERSA VITRA.	QUANTITAS EXCEPTA.	SPATIUM TEMPORIS ELAPSI.	PROG. SOLIDORUM PRINCIPIORUM.
No. 1	0,823	0 min.	13,6
No. 2	2,302	3 min.	13,3
No. 3	3,452	10 min.	13,1

Quando nunc eventus hic citatos perpendimus, jam in iis inexpugnabilem invenimus probationem, fere ab initio sanguinis fluxus absorptionem liquidi nutritii auctam fuisse; cuius causam quaequivimus in diminuta sanguinis pressione, dum liquidi nutritii pressio fere non mutabatur. Ratio absorptionis in diversis casibus et aberrationes, nonnumquam observatae, ex hocce arguento etiam sufficienter declarari possunt. Primo manifestum est, quando, non obstante exigua sanguinis detractione, cordis actio et cum ea sanguinis pressio augentur, non solum non auctam absorptionem, verum exsudationem quidem adactam sequelam esse debere, et ideo nobis minime mirum videre potest, solida sanguinis principia in experimento secundo, post exiguam sanguinis quantitatem detractam, in vitro secundo aucta fuisse, ut tamen in tertio rursus diminuerentur. Conati tamen sumus, relationem inter absorptionem (sanguinis tenuitatem) et pressionem sanguinis magis praecise probare. Idecirco haematodynamometrum inducebatur in arteriam carotidem, et sanguinem ex aperta arteria crurali emisimus. Ut jam supra monuimus, assidue sauguinis pressio descendebat, et, saepius constrictione arteriae cruralis cohibito sanguinis fluxu, unaquaque repetita evacuatione excipiebamus sanguinem, cuius copiam principiorum solidorum determinabamus.

Experimentum V.

DIVERSA VITIA.	SPATIUM ELAPSI TEMPORIS.	M. M. PRESSIO IN HAEMATODYNAMOMETRUM.	PROG. SOLIDORUM PRINCIPIORUM.
No. 1	0 min.	Status primitivus 90—106. Descendebat post hanc de- tractionem ad 49—55	21,7
No. 2	6 min.	Ante hanc detractionem rur- sus adscenderat ad 60—61. Post hanc detractionem de- scendebat ad 40.	20,4
No. 3	12 min.	Ante hanc detractionem rur- sus adscenderat ad 46—50. Post detractionem descende- bat ad 40.	19,2
No. 4	20 min.	Ante hanc detractionem ad- scenderat ad 42. Descendebat post detrac- tionem ad 37, sed iterum postea adscendebat ad 40, absque ulteriore sanguinis detractione.	18,6

Perspicue inde videre possumus consensum inter sanguinis diminutam pressionem eiusque absorptionem, qui continua ap- paruit, et ex adscensione haematodynametri post quamque sanguinis detractionem, et ex majori aquae copia post unam- quamque sequentem.

Etiam evidentius dictus consensus apparuit ex experimento, in cuniculum instituto, cui primo exigua sanguinis quantitas ex arteria crurali detrahebatur. Tum animal aetheris- batur, quo initio cordis pulsatio magis invalescebat, sed brevi tantopere languescebat, ut vix posset observari. Per quar- tam horae partem animali in eo statu detento rursus parum sanguinis detrahebatur. Quo facto aetherisationem pro-

sus sistebamus; paulo post plane recreatum est animal, libere cubiculum percurrit, cordisque pulsatio rursus invaluit. Tum tertiam faciebamus sanguinis detractionem, ut ante, ex arteria crurali, fere viginti minutis post secundam sanguinis detractionem. Harum trium sanguinis specierum solida determinabamus principia. En eventus:

Experimentum VI.

	QUANTITAS SANGUINIS.	SPATIUM TEMPORIS ELAPSI.	PROC. SOLIDORUM PRINCIPIORUM.
Ante aetherisationem.	1,578	0 min.	17,7
Durante aetherisatione.	2,606	15 min.	11,6
Post aetherisationem.	2,572	35 min.	13,3

Dum cordis actio per aliquod tempus aetherisationis efficitate suppressa fuerat, insignis, uti videmus, absorptio obtinuerat; et solummodo necesse erat, ab aetherisatione per aliquod tempus abstinere, quo cordis actionis vis restituebatur, ut exsudationi auctae ansa praeverberet, uti manifeste appareat ex auctis solidis principiis. Hoc experimentum, quod repetitum fuit in altero cuniculo simili cum eventu, plane sufficere nobis videtur. Physiologicae forte etiam therapeuticae actioni aetherisationis haecce absorptio aucta alicuius videtur momenti.

Ex cordis actione, initio auctâ, fortasse quoque tres ZIMMERMANNI¹⁾ casus declarandi sunt, in quibus post primum vasculum solida principia angebantur, dum praeterea stasis sublata in duobus horum aegrorum, et multus sudor durante

1) *Zur Dynamik*, u. s. w. l. c.

venae sectione tertii, uti ZIMMERMANN memorat, suum conferre potuerunt.

ZIMMERMANN etiam docet, praesertim oriente et minante lipothymia, incrementum aquae quantitatis citissime obtinere, id quod maxime nostrae explicationi convenit, quippe in lipothymia pressio sanguinis plurimum minuitur. Etiam ortae lipothymiae absque sanguinis missione certo absorptionem liquidi nutritii et sanguinis tenuitatem sequelam habere possumus.

Denique fasciae efficacitas, quam ZIMMERMANN attento animo perpendit, ex eodem declarari potest argumento. Augendo resistantiam in venis pressis, sanguinis in systemate capillari increscit pressio, et igitur exsudatio augetur. Hoc quoque in causa est, cur sanguis primo detractus ditissimus sit principiis solidis. Si nunc animadvertis, resistantiam in systemate venoso, e venâ sanguine libere effluente, etiam magis diminui quam in statu normali, intelligimus, quam cito copia aquae in vena brachii augeri debeat. Sic ZIMMERMANN quoque, ineunte sanguinis detractione, invenit in venae sectione maximum aquae incrementum, dum in libera sanguinis detractione, fascia non applicata animalibus, magis regulare incrementum, saepius etiam initio lentius aquae copiae incrementum nanciscebamus.

ZIMMERMANN computavit, quanta absorptio esse possit in determinata sanguinis detractione. Invenit in uno casu aquae incrementum in sanguine haud minus quam trium librarum et unciae unius sanguinis detractione trium unciarum; ad quod incrementum ad minimum quatuor vel quinque librarum liquidi nutritii et lymphae, quippe etiam non simpliciter ex aqua compositorum, absorptio requiritur. Ipse ZIMMERMANN huius computationis eventum demiratus est, attamen vere tam insignem

admittere absorptionem videtur. Non dubitamus, quin in casu, uti h̄c descripto, in quo aeger valde venaesectionem timebat, actio cordis vehementer supprimebatur, et jam post trium unciarum evacuationem exigua sequebatur syncope, absorptio momentosa esse potuisset; a ZIMMERMANNO acquisitos numeros maximam partem autem ei attribuimus, quod initio detractionis, et quidem in sanguine venoso brachii fasciae pressione, solida principia aucta essent, post venam apertam, sublatā resistētiā, propter majorem absorptionem aquae copia h̄c *magis* aucta fuisset, quam in ulla alia corporis parte, et ZIMMERMANN aquae incrementum in brachii sanguine observatum toti sanguinis quantitati, quam dicit 25 libris, annumeret.

Quando videmus, quomodo jam durante venaesectione aquae volumen sanguinis augeatur, et porro consideramus, post sanguinis detractiones cor etiam non celeriter vim suam integrum recuperare, manifestum est, in diversis sibi subsequentibus venaesectionibus, interjectis diebus vel compluribus horis, copiam relativam solidorum principiorum etiam certe diminutum iri. Quod memorata experimenta, quae MARSHALL-HALL et MAGENDIE instituerunt, jam probare videntur. Certe apparuit ex indagationibus, quas ANDRAL et GAVARRET 1) instituerunt, qui in pneumoniosis, rheumatismo acuto, peritonitide et febribus nervosis post complures venaesectiones, quas nonnumquam sexies repetiverunt, assidue solidorum principiorum diminutionem observarunt, excepto uno casu, in quo quinta venaesectio magnam copiae aquae diminutionem offerebat. Plures vero exceptiones NASSE 2),

1) *Annales de chimie et physique*, Tome LXXV, Paris, 1842, pag. 225—322. Etiam apud VALENTIN, l. c. pag. 756 tabulam invenimus eventuum, quos acquisiverunt.

2) *Das Blut in mehrfache Beziehung u. s. w.*

POLLI 1), LERCH 2) et ZIMMERMANN 3) repererunt; quod nemo mirabitur, secum reputans, quantitatem detracti sanguinis, tempus, quod inter primam et secundam detractionem interjicitur, morbi speciem, secretiones et praesertim cibos consumtos et potus vim suam in hoc exercere. Interim non negligendus est cordis actionis effectus: tum sanguinis detractione cordis actio aliquamdiu valde debilitari potest, quo in casu magnum aquae incrementum exspectare nobis licet; tum in vera plethora actio cordis sanguinis detractionibus etiam validior liberiorque fieri potest, et nunc, nostra opinione, potius copiae aquae diminutio exspectanda erit. Etiam, quae tempore venaesectionis aegri fuerit conditio, utrum quietus fuerit, an vero multum se moverit, num sit conditione febrili nec ne, horum omnium ratio habenda est.

Minime igitur mirum nobis esse potest, incrementum aquae quantitatis in sanguine venaesectionis secundae minus constans esse, quam in sequenti sanguine, qui eadem venaesectione detracetus est. In nostris experimentis, in cuniculos institutis, quorum victus aliorumque ratio vix differebat, in sanguine cuiusque venaesectionis sequentis regularem solidorum principiorum inventiebamus diminutionem.

Maxime notanda profecto celeritas, qua aqua in sanguinis detractionibus augetur. Sanguinis detractio requirit tantummodo aliquot minutarum spatium, ut in plurimis casibus sanguis tot principia aquosa suscipiat, quot quantitas illa sanguinis detracta sequi possit. Quod inde deducimus, quod, si brevibus

1) *Die Gerinnung und Speckhaut des Blutes* in ECKSTEIN's Handbiblioth., Bd. IV, 1845, S. 70.

2) *Einige chemische Untersuchungen über das Blutserum in verschiedenen pathologischen Zuständen*, Würzb. 1845.

3) *Zur Dynamik, u. s. w.*

intervallis complures venaesectiones fiant, ultimo detractus sanguis prioris venaesectionis vulgo non plura, contra vero universe minora principia solida contineat, quam primo detractus posterioris venaesectionis. In nostro experimento secundo principia solida ab exitu primae ad initium secundae venaesectionis diminuta invenimus ab 18,1 ad 14,3%; sed animadverendum est, durante secunda venaesectione primo collectam quantitatem superasse $5\frac{1}{2}$ grammata, et igitur jam propter hanc secundam detractionem aquam multum potuisse augeri. Initio tertiae venaesectionis, in qua prima sanguinis detractio minor uno grammate erat, solida principia rursus aucta erant ab 11,9 ad 12,4% et alias cuniculi (vid. experiment. IV. A. B.) ab 13,8 tantum ad 13,6% diminuta, quod minus est, quam e protracta prima sanguinis detractione exspectandum fuisset. Tabulas ZIMMERMANNI 1) etiam inspeximus et nobis patuit, pondus specificum et relativam quantitatem principiorum solidorum sanguinis in primum vasculum posterioris venaesectionis excepti inde ab excepto ultimo sanguine prioris venaesectionis fere semper aucta fuisse. Hoc celere quantitatis aquae incrementum non nisi cordis actioni celeriter imminuenti adscribendum est, et quia paulo post effectus cordis actionis iterum augetur, nunc rursus solidorum principiorum quantitas vulgo paulisper angebitur.

Solidorum principiorum diminutio non aequabiliter omne sanguinis principium tenet. Si certa sanguinis quantitas detraheretur et aqua pura substitueretur, diminutio cuiusque sanguinis principii aequabilis esset. Loco aquae liquidum nutritium et lympha cum sanguine commiscentur. Nobis proposamus sanguinem cum certa liquidi nutritii et lymphae quan-

1) *Zur Dynamik, u. s. w.*

titate commixtum, en compositio, quam sanguis venaesectione accipit. Nunc tantummodo quaeritur, quanam principia et quali quantitate in liquido nutritio et in lympha adsint? In quantum nobis notum est, hacc continent relative maxima parte salia et albumen; praeterea non colorata corpuscula sanguinea (lymphae globuli) in lympha occurrunt, dum in liquido nutritio corpuscula sanguinea colorata, et cum iis haematinum, plane, in lympha fere omnino, desunt, et materia fibrosa quoque valde exigua quantitate adest. Inde sequitur, corpuscula sanguinea et materiam fibrosam (quae tamen paulo post rursus augetur) relative plurimum, albumen et salia minimum diminutum iri, dum corpusculorum sanguineorum non coloratorum numerus etiam augeatur.

Ad hoc vero quadrant omnino observations.

Primo indagatio microscopica, corpuscula non colorata jam durante venaesectione augeri, probavit, dum adiecta haec, instituta indagatione primis diebus post largas sanguinis evanescences, consecutivas se ostendunt actiones. Quae REMAK 1) et NASSE 2) hac de re observarunt, saepius, non semper, probata comperimus.

Post modicam sanguinis detractionem inveniebamus iterum atque iterum corpuscula sanguinea non colorata a 2 et 3 ad 6 et 7 in unâ areâ aucta, et cuniculi, quo usi sumus ad experimentum secundum, et qui post tres venaesectiones defecit, quinque diebus post primam venaesectionem in una area 40 ad 60 corpuscula sanguinea non colorata conspici poterant. Semper

1) *Diagnostische und pathogenetische Untersuchungen*, Berlin, 1845, S. 24 u. 105.

2) WAGNER'S *Handwörterbuch*, art. *Blut*. S. 207.

in cuniculis et cane aliquot diebus post detractionem numerum horum globulorum auctum invenimus, non semper jam durante sanguinis missione, neque etiam semper in bove.

Praeterea in cuniculi sanguine minimi globuli adiposi offendebamus, quae tamen non valde numerosa erant, et in quibus ut et aliis tenuibus moleculis causa erat conditionis turbidae seri. In aliis casibus, in quibus prius minus largae venae sectiones factae erant, numquam haec sphaeria adiposa invenimus. MARSHALL-HALL¹⁾ narrat, se in nonnullis casibus, experimentis in canes institutis, sed minime in omnibus, materiam quandam fibrosi adspectus super sero sanguinis reperisse, PROUT eam indagasse, et eam dignovisse oleosam materiem, in aethere solubilem: et revera charta bibulâ facile imbibebatur, et persistentem relinquebat, pellucidam, oleosam maculam, postquam charta exsiccata fuerat. Et hoc quidem unicum est, quod afferri possit, adipis sanguinis copiam sanguinis detractionibus augeri. NASSE autem idem dicit, fretus suis indagationibus, quas breviter tantum memoravit. Utrum adductio lymphae et imprimis chyli sufficeret, ad incrementum adipis declarandum, an cum MARSHALL-HALLIO admittere deberemus adipis absorptionem e tela adiposa, non est quod inquiram, quandoquidem res, quoad adipis incrementum, sanguinis detractionibus non prorsus constat.

Si sanguinis gutta cuniculi, cuius usus fuit in secundo experimento, vitro $\frac{1}{2}^{\text{mm}}$ crassitudinis obtegeretur, et simili ratione sani cuniculi sanguinis gutta tractaretur, observabantur posterioris corpuscula sanguinea colorata per totam aream marginibus se invicem tangere, dum in priore vitro

1) *Ueber Blutentziehung.* u. s. w. S. 66.

intermedia certe corpusculorum sanguineorum superficies superabant. Apparuit igitur indagatione microscopica, ratione habita generalis principiorum solidorum diminutionis experimen- to determinatae, corpuscula sanguinea plurimum diminuta fuisse; quod etiam chemice docuerunt indagationes. Quas ANDRAL, GAVARRET, ZIMMERMANN, BECQUEREL et RODIER 1), NASSE 2) et POPP 3) instituerunt, diminutionem globulorum sanguinis *et* durante eadem venaesectione, *et* post complures venaesectiones indubitatem statuerunt, ita ut haec diminutio post sanguinis diminutiones norma poni possit 4). Paucas tantummodo exceptiones memoratas invenimus. Sic apud ANDRAL et GAVARRET inter 13 casus rheumatismi acuti, post repetitas venaesectiones, et sexies quidem, unum offendimus, in quo insigne corpusculorum sanguineorum incrementum obtinuit; sed hic sanguis 14 diebus post recreationem viro interim bene nutritio detrahebatur. In paucis casibus, in quibus ZIMMERMANN corpusculorum sanguineorum incrementum observavit, illorum stasis aderat, et ea sanguinis detractione rursus libere in circulationem redierunt 5). In eo ZIMMERMANN putat, huius exceptionis sufficientem dari explicationem.

Quod ad materiam fibrosam attinet, haec quoque durante

1) *Untersuchungen über die Zusammensetzung des Blutes in gesunden und kranken Zustände*, Erlangen, 1845, S. 18.

2) WAGNER's *Handwörterbuch*, S. 215.

3) *Untersuchungen über die Beschaffenheit des menschlichen Blutes in verschiedenen Krankheiten*, Leipzig, 1845.

4) De quo etiam Tabulae reperiuntur apud HENLE, *Handbuch der rationellen Pathologie*, Bd. II, Braunschweig, S. 79, 81, 82, 83 et 84. Hic vir illustrissimus eventus sanguinis analysium multo acutissime diligentissimeque dijudicavit.

5) *Zur Dynamik*, u. s. w. S. 125.

eadem sanguinis evacuatione in sanguine detracto magis magisque diminuitur. HEWSON jam notat, sanguinem in posterioribus vasculis venaesectionis citius concrescere, id quod etiam DAVY, PARMENTIER et DEYEUX in sanguine caesorum animalium observarunt. SCHROEDER VAN DER KOLK¹⁾ hoc imprimis accurate indagavit, et praeterea, quod celeriore coagulatione jam probabile factum erat, materia fibrosa placentae sanguinis eluta, in ultimo detracto sanguine minori quantitate invenit. Contra vero reperit sanguinem, qui in corde et in magnis vasis post mactationem remanserat, semper materiam fibrosam longe ditiorem, quam sanguinem sub finem sanguinis emissionis exceptum, quin aliquando, non semper vero, ditiorem fibrosam materiam, quam primum initio mactationis evanescutum sanguinem. Quod ad principia solida in genere attinet, haec non ab omni parte probata comperimus. Vituli sanguinem in vasis remanentem longe maxime principiis solidis orbatum invenimus. Bovis contra semel sanguinem in corde vasisque majoribus superstitem 14,5% princ. solidorum continentem invenimus, dum durante fluxu sanguis exceptus 19,5—19,3—16,5—12,3% continebat.

In accelerata sanguinis detractione, secundum NASSE, assidue materiae fibrosae quantitas diminuitur, quod in lenta minus constans est, ut etiam ZIMMERMANN reperit, qui in diversis eiusdem venaesectionis partibus raro regularem diminutionem vel incrementum observavit. Contra vero in sanis corporibus norma sit, sanguinis venaesectionum sibi subsecutarum, principiis solidis universe decrescentibus, materiam fibrosam augeri.

1) Vid. Commentatio summopere laudanda: *de sanguinis vase effluentis coagulatione*, Gron. 1820, pag. 28 et sq.

NASSE hoc quoque in animalibus reperit, de quibus nos etiam coagulationem sensim sensimque celeriorem annotavimus; et in morbis, quorum conditio semper magis complicata est, frequentius in sequentibus venaesectionibus incrementum obtinet quam imminutio 1).

De causis huius inconstantiae non multa verba faciam. Conditiones formationis materiae fibrosae non satis notae sunt. Videtur quidem materia fibrosa citissime et facilime ex albumine posse formari, quin hoc in sanguine detracto posse fieri videtur. Itaque mirum dici nequit, h̄c aberrationes evenire; sed formationis materiae fibrosae conditiones accuratius innotescere debent, antequam in omni casu harum certa ratio dari possit.

Quod ad albumen, admittere possumus, illud sanguinis detractionibus sat regulariter diminui, quod etiam NASSE notavit. Attamen diminutio minus celeris erit, quam corpusculorum sanguineorum, quandoquidem liquidum nutritium et lympha quoque ditiora hoc sunt principio. Analyses non tam accuratos praebent exitus, quia albuminis volumen totius sanguinis difficile determinari potest, et sanguinis serum, uti ex indagationibus, quas THACKRAH 2) et MOLESCHOT 3) instituerunt, sequitur, non certos eventus offert.

De sanguinis detractionum effectu in salia sanguinis, tantummodo nonnullas habemus indagationes, quas ZIMMERMANN 4)

1) Vide Tabulas apud HENLE, I. I. pag. 99 et 100.

2) *An inquiry into the nature and properties of the blood.* 1834, pag. 41.

3) *Zeitschrift fur rationelle Medicin,* Bd. 7, S. 228.

4) *Archiv fur phys. u. path. Chemie und Mikroskopie,* von HELLER, 1846, S. 522.

instituit, e quibus patet, haec in ultimo detracto sanguine eiusdem venaesectionis vulgo aliquanto majore quantitate adesse, quam in primo. Hunc eventum non demiramus, quando magnae salium copiae, quae CHEVREUL in muscularum liquido nutritio invenit, et plurimum quidem salia cum basi alcalina 1), rationem habemus.

Ex omnibus, quae tradidimus, universe confirmata habemus, quae statuimus, sanguinem post sanguinis detractiones posse haberi mixturam eorum, quae antea sanguis, liquidum nutritium et lympha erant.

1) Conf. LIEBIG, *Annalen der Chemie und Pharmacie*, Bd. LXII, S. 331. Haec salia praecipue sunt, saltem in muscularis, potassii salia. Ex analysibus ZIMMERMANNI solummodo patet, chlorureta *alcalina* aucta fuisse. Obiter animadvertisit, praesertim chloruretum *sodii* augeri, neque tamen ullam huius rei probationem assert. Dum ex indagationibus, quas LIEBIG instituit, novimus, liquidum nutritium, idque nominatim muscularum, pauperrimum sodii salibus, ditissimum esse potassii salibus, licet nobis venaesectione incrementum posteriorum, e contrario vero diminutionem priorum exspectare.

V.

VIS IN DIVERSARUM CORPORIS PARTIUM FUNCTIONES.

Omnia vitae phaenomena nituntur in materiae mutatione. Vidimus, sanguinis detractiones eius quantitatem atque pressionem in omnibus partibus posse diminuere, huiusque absorptionem liquidi nutritii, mutatam sanguinis compositionem, sequelas esse, et facile patet, quantopere eo universa materiae mutatio et cum ea phaenomena, quae in ea nituntur, modificantur. Hae modificationes jam durante sanguinis detractione se offerunt et in mortem transeunt, si sanguinis missio nimis protrahatur, quae igitur immediata procreant phaenomena.

Post unamquamque sanguinis detractionem satis copiosam re vera autem magis permanens modificatio in organismo orta est, quae saltem demum post aliquod tempus evanescere potest. Hanc conditionem actionem mediatam dicere possumus.

Plurima observata phaenomena ex antecedentibus satis superque explicantur. Praesertim MARSHALL-HALL¹⁾ diligentis-

1) *Ueber Blutentziehung*, l. 1.

sime indagavit, et si eum in omnibus rei adjunctis sequi vellemus et praeterea nostras observationes et indagationes fuse lateque proferre, longius aberraremus. Stamus igitur in brevi conspectu.

Praecipua phaenomena in sanguinis detractionibus, ad mortem usque protractis, sunt: pallor cutis, imminutio temperaturae, muscularum relaxatio, propensio ad lipothymiam, actione cordis continue decrescente, lipothymia absoluta cum animi defectu, quo *et* cordis actio *et* muscularum tonus insuper diminuuntur, spasmi, asphyxia, mors.

Pallor cutis oritur e decrescente cordis actione. Color cutis rubicundus imprimis e sanguine in systemate capillari dependet. Huius quantitas, pariter atque sanguinis in systemate arteriali, praesertim vi cordis actionis determinatur, quia eâ propensio ad contractionem vasorum capillarium superari debet. Si ergo cordis actio diminuitur, sanguis in systemate capillari imminuitur, et inde rubor cutis. Auctam contractionem vasorum capillarium vi systematis nervosi idem posse produci, pallor localis edocet, e. g. faciei.

Corporis temperatura subito diminuitur; quod saltem invenimus in cuniculis et canibus, quorum temperaturam determinavimus in intestino recto. Trium grammatum sanguinis detractio cuniculo sufficit, ut temperatura a 38° fere ad 37° descendat, et antequam sanguinis emissione mortuum est animal, jam temperatura descendit ad 32° ; quam temperaturae imminutio nem insignem etiam in aetherisatione observavimus. Deficimus observationes in hominem.

Inter phaenomena constantia toni diminutio muscularum. Durante venaesectione vulgari, etiam non minante lipothy-
mia, muscularum vis minuitur, quod quoque satis per-

spicue observari potest in experimentis in animalia. Quod diutius protrahitur sanguinis detractio, eo magis augetur haec relaxatio, et sequitur gravissimus collitus minante et oriente lipothymia, ita ut corpus collabatur.

Imminutio et temperaturae et muscularorum toni sequela est imminutae materiae mutationis. Liquidum nutritium, ut vidimus, magna quantitate sanguinem intrat, sed non proportionaliter e sanguine restituitur; non potest igitur materiae congruentem efficere mutationem, qua et caloris evolutio et muscularum actio nititur. Mutatio sanguinem inter et liquidum nutritium eo magis cohibetur, quia lumen et cum ea superficies parietum vasorum capillarium, per quos haec obtinet mutatio, diminuta sunt. Quoad systema musculare insuper suppressae nervorum eorumque centrorum actionis ratio habetur. Quod quidem indicatur vehementi muscularum relaxatione, oriente lipothymia, dum physiologia docet, tonum muscularum pendere ex nervorum centris.

Cordis actionis imminutionem, quae imprimis in lipothymia observatur, facto indicavimus. Primo declaratur e minori sanguinis affluxu ad cordis atria, secundo ex imminuta materiae commutatione in ipsius cordis tela, de qua idem valet atque de musculis, tertio ex innervatione imminuta. Vice sua diminuta cordis actio rursus causa imminutae materiae mutationis, quia ea eodem tempore minor sanguinis quantitas circumvehitur et vasa capillaria minus expanduntur. Imminuta tamen cordis actio, de qua hic sermo est, spectat solum vim non numerum contractionum, qui etiam augeri potest, modo sanguinis detractio non nimis protrahatur.

Lipothymia est conditio, quae imminuta materiae commutatione in cerebro nititur. Oritur e diminuta sanguinis pressione, et

praetera multum confert ad cordis actionem diminuendam. Sanguinis pressionem hic magnam vim exercere, demonstratur e lipothymia, quae citius oritur positione erecta quam decumbente, e redeunte animo animalium, sanguinis detractione in lipothymia versantium, quando capite deorsum suspendebantur, ut MARSHALL-HALL expertus est. Etiam sanguinis crasis, sive immediate eius vi in cerebrum, seu mediate in cor, his accedere, deducere nobis licet ex usu, quem MARSHALL-HALL habuit, in nonnullis conditionibus morbos, nominatim in inflammationibus, multo majorem quantitatem detrahi posse, ante ingressam lipothymiam, quam in iis, quibus materia fibrosa potius diminuta quam aucta est. — Magni existimamus observationem, lipothymiam itidem primitus e systemate nervoso posse oriri, e. c. in mollibus feminis, quae commoventur videnda venaesectione, quarum cordis actio suppressa secundaria videtur, aut ad orientem lipothymiam cominus accedit.

BURROWS satis habet, causam lipothymiae in diminuta cerebri pressione indicare. Haece tamen pressio diminuta tantummodo remota causa esse potest, imminuta materiae mutatio eius proxima habeatur. Facile declaratu, quomodo imminuta cordis actio imminutae in cerebrum pressioni et mediate imminutae materiae mutationi ansam praebeat. Prius explicavit BERLIN¹⁾, qui simul sensim auctam exsudationem, ortam pressione diminuta, cui liquor cerebro-spinalis obnoxius est, et magis quidem quam sanguis in capillaribus, commostravit. Si modo nobis proponamus, producta materiae mutationis, propter diminutam vasorum capillarium absorptionem, e liquido nu-

1) *Onderzoeken*, enz. I. 1.

tritio non rite separari posse, eo causa imminutae materiae mutationis indicata est.

Spasmi, qui saepius paullo ante mortem et in homine et in animalibus sequuntur, in se praesertim attentionem derivarunt. Habiti sunt phaenomena actionis auctae, cuius difficile ratio potuit inveniri. HENLE 1) putat exiguam exsudationem in cerebro stimulum, dum larga exsudatione coma producere posset. Explicatio hac ratione ideo jam non sufficeret, quia scilicet lipothymia cum muscularum relaxatione praecedit, et convulsiones oriuntur eo ipso tempore, quo liquor cerebro-spinalis summum attingit fastigium. Etiam quod HENLE 2) observavit, nempe: psychica phaenomena, quae in lipothymia et comate deficiunt, alii organo conjuncta esse ac motus, hoc non satis illustrat. Nuperrime Clar. DONDERS 3) in primis modificationes materiae mutationis in cerebro commonstravit, quibus haec phaenomena nituntur, indeque explicare conatus est, et delirium ac convulsiones et lipothymiam aut coma muscularumque relaxationem tum imminuta tum aucta sanguinis quantitate et pressione in cerebro posse adesse. Nunc vero praeceps animum meum ad vehementem muscularum relaxationem advertit, spasmis praecuntem; quos non ita phaenomena actionis magis auctae, quam vulgaris dicit, sed incrementa potius magis exigua actionis in vehemente jam muscularum relaxatione. Si ergo tantummodo incrementa quaedam in valde diminuta materiae mutatione centrorum nervorum se offerunt, phaenomenon declaratum est. Hoc tempore spasmorum fere morientis animalis etiam subinde respirationem spasmodicam videmus. Hic

1) HENLE, I. I. Bd. II. S. 404.

2) HENLE, I. I. Bd. II. S. 403.

3) *Nederlandsch Lancet*, Maart 1850.

nobis nihilominus actionem constantem medullae elongatae proponere debemus, quae, ad certum erecta fastigium, subito prodit in respirationem spasmodicam, quamvis intervallis minime haec actio pateat. Huic leves spasmi, sequelae assiduae aequalis materiae mutationis, consentanei essent. Sed si ratio habetur, exsudationem liquidi nutritii in cerebro hocce momento etiamnunc continue pergere, sanguinis circulationem, quamvis inertem, etiam assidue aliquid sanguinis arterialis ad cerebrum ducere, et ideo sanguinem sub pressione labante tenere, perspicuum est, in cerebro etiam conditiones alicujus materiae mutationis manere, quae variis causis: una respiratione forti aut cordis contractione, irritatione adventitia nervorum sensilium, caet. incitari potest. Videntur mihi hi spasmi ultimos halitus trahentis, qui non nimii nobis proponendi sunt, ex iis satis declarari.

Simulac respiratio visibilis cessavit, asphyxia intravit; motus visibles externe cessarunt. Tamen cordis palpitationem etiamnunc per aliquod tempus observari potest, et, etiam hac desinente, animal demum dicimus mortuum. Sed quo jure? Profecto vitae mortisque fines eo non indicati sunt, quia non existunt. Cor etiamnunc stimulis ad contractionem cogi potest; musculi canalis intestini offerunt motus vermiculares et undulatorios, et per horas nonnullas etiam in musculis voluntariis contractiones observari possunt: materiae mutatio nondum plane sublata erat, transit sine finibus in dissolutionem. Asphyxia et mortis causa evidentius posita est in amissione conditionum normalis materiae mutationis, quam ut plura de hisce in medium proferrem.

Superest, ut inquiramus, quinam mediatus sit effectus lageroris minorisve sanguinis detractionis, quae vitam non

immediate minatur. Cito aequilibrium sanguinem inter et liquidum nutritium restitutum est. Sanguis eo tenuior factus est, et plerumque aucta observatur transpiratio, quacum verisimile aliae excretiones etiam augentur. Immunitionem liquidi nutritii in telis sitis subsequitur, quae in nostris experimentis, in animalia institutis, etiam in cuniculis, nonnisi raro bibentibus, manifeste dignoscebatur. Usu's potuum auget et simul diluit sanguinem, quo etiam quantitas liquidi nutritii rursus augetur et igitur extenuatur. Interea cordis actio magis viget, respiratio quoque magis valida est, et, quia calor animalis cito rursus auctus est, jam patet, materiae mutationem se rursus majori vi instituisse. Fieri quidem potest, ut valde decrescentibus corpusculis sanguineis solidisque universo principiis materia fibrosa et forsan quoque aliae magis oxydatae conjunctiones proteinis, quas detexit clar. MULDER, augeantur, quae absque ullo dubio vicissim in materiae mutationem in omnibus telis vim exerceat. Interim cutis plerumque magis pallet et friget, igitur minus caloris adimitur, procreatio huic similis, et absolutam efficacie materiae mutationis redintegrationem nondum assumere possumus. Hoc etiam patet e minore muscularum robore, e subita defatigatione, e difficultate contentionis animi post sat magnam sanguinis missionem. Quod porro cito accrescens frequentata cordis actio et respirationes in anaemia commonstrant.

Ad tonum diminutum partium contractilium declarandum, multo accuratius nobis ratio liquidi nutritii in his partibus observanda est. Aquae quantitate sanguinis majore, constat, ceteris paribus, necessario majorem aquae copiam liquidi nutritii exsistere. Eo conditio data videtur majoris immunitionis partium elementarium quam restitutionis,

et universalis telarum emaciatio inde sequitur. Notum est, post largas sanguinis detractiones facile tumefactionem hydropicam telae cellulosa oriri et aliis etiam locis serosam effusionem fieri. Harum causa praesto est. Jam memoravimus, post indagationes, quas CHEVREUL et LIEBIG instituerunt, in telas animales liquoris tenuioris multo plus penetrari posse, quam densioris. Si igitur liquidum nutritium sit tenuius, simul conditio exstat, id augeri posse. Si nunc praeterea partes contractiles extenuentur, materiae mutatio in his imminuat, et ex his omnibus sequatur tonus diminutus cutis, musculturum caet., insuper liquidum nutritium sub minorem venit pressionem, qua liquidi nutritii absorptio et lymphae reductio impeditur, egressus e sanguine promovetur. In crassi hydraenica igitur existunt causae duae, quae ambae incrementum liquidu nutritii et igitur infiltrationem serosam promovent. Sic constitutio prorsus interire potest nimia sanguinis emissione.

Aliam phaenomenorum scribi indicat systema nervosum. MARSHALL-HALL 1) multos affert casus exhaustionis cum nimia reactione, cum deficiente reactione, cum viribus prorsus deficientibus, cum delirio, cum comate, cum amaurosis. ABERCROMBIE 2) vidit post largas sanguinis evacuaciones in morbis inflammatoris saepe conditionem se offerentem maniae proximam, quae sensim abolevit, viribus aegrorum reducibus. Omnia haec phaenomena posita esse debent in modificationibus materiae mutationis in systemate nervoso, quae partim in mutato vasorum tono, partim in mutata sanguinis

1) *Ueber Blutentzichung*, l. I.

2) *Pathological and practical researches on diseases of the brain and spinal cord*. 1839.

compositione niti possit. Quominus tamen cum iis peculiaria subeamus, prohibet scientia, quae hypotheseos jus agnoscit, at non ei dat laxas habenas.

In adductione nutrimentorum congruenti conditio redintegrationis status pristini. Si digestio est normalis, absorptio in canali intestino normaliter obtinere potest, major copia ingeri quam consumi potest. Quod quidem fere semper fit post modicam sanguinis emissionem. Digestio, saltem ciborum, qui facile digeruntur, est normalis; absorptio propter minorem sanguinis pressionem facilis perficitur, et organismi indigentia se fame indicat, pariter ac post insignem materiae consumptionem per morbum. Augescens quantitas et imprimis increscens densitas sanguinis inde sequuntur, et pro rata parte etiam liquidum nutritium, secundum leges endosmosis et exosmosis, densitate increscit et quantitate imminuitur, nisi nimia telarum contractilium relaxatio et inde producta nimia pressio liquidi nutritii imminutio his resistant. Sic pristinum aequilibrium prorsus se restituere poterit, quamvis nonnumquam persistens virium imminutio, permanens teneritas systematis nervosi, quin etiam defectio aut perturbatio animi remanens sequela nimis largae sanguinis missionis esse possint. Lentissime restituuntur corpuscula sanguinea; non colorata statim insigniter augentur, sed ex iis demum lente colorata formantur. Haematini defectus, multis in causis defectu ferri nitens, quod exceptis corporis sanguineis, non bene multum in organismo adest, huius quidem rei causa videtur. Corpus-

1) Hac de re lectu dignissimum, omnino classicum Caput: *Anaemie*, e saepius memorato opere, mira arte elaborato ab HENLE.

cula sanguinea in liene, ex indagationibus, quas ECKER instituit, etiam minus extingui videntur.

In antecedentibus breviter descriptis physiologicam, quae dicitur, sanguinis detractionum actionem; nec tamen efficaciam localium sanguinis detractionum neque evacuationem e variis venis aut arteriis attigimus. Fortasse in posterum huc redimus.

Nemo contendet, e notitia actionis physiologicae insignes applicationes ad therapeuticam indicationem fieri posse, quas tractare, uti MARSHALL-HALL fecit, minime proposito conveniebat; amplam requirerent explicationem, quac nos in valde diversam aream ducerent, easque breviter narrare nobis factu difficile videbatur. — Cuique medico, res animo volventi, aequo animo relinquimus.

T A N T U M .

THESES.

I.

La saignée est un des plus puissans agens de la matière médicale.

GUERSENT.

II.

Sanguinis detractiones locales agunt imprimis augendo tonum vasorum capillarium extra modum dilatatorum.

III.

Differunt venaesctionis effectus pro vena, quae secatur.

IV.

Certis signis dijudicari nequit, utrum symptomatum paralyticorum, in aegro observatorum, in cerebro, an in medulla spinali aut nervis ipsis causa quaerenda.

V.

Causa, cur in vulneribus pectoris perforantibus in homine prolapsus pulmonum non nisi raro sequatur, tono et elasticitati horum organorum est tribuenda.

VI.

Percussionis utilitatem quam auscultationis majorem duco.

VII.

Non dantur contraindicantia.

VIII.

Revaccinationem necessariam habeo.

IX.

Emeticum princeps remedium habendum in angina membranacea.

X.

Hydrargyri vivi usus internus non adhibendus.

XI.

Menstruation, Schwangerschaft und Lactation sind nur Modificationen derselben bildenden Grundkraft, ein Drei und ein Eins: — sie verhalten sich zu einander, wie ungefähr Magnetismus, Electricität und Chemischer Process.

XII.

Ita dictus susurrus placentaris in vasis integumentorum
abdominis residet.

XIII.

Il faut toujours unir dans l'esprit des enfants l'idée du lit
et l'idée du sommeil.

M^{me}. CAMPAN.

XIV.

— 61 —

XV.

— 62 —

XVI.

— 63 —

XVII.

— 64 —

XVIII.

— 65 —

XIX.

— 66 —

— 67 —

— 68 —

— 69 —

— 70 —

— 71 —

— 72 —

— 73 —



